

Hermann Lembke Wulbrandus Adolphus Robbig ab Hallerspring

Disputatio Iuridica Inauguralis De Beneficio Competentiae

[Rostochii]: Kilius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735204799>

Druck Freier  Zugang



Wohltat der Kunstverständigen

Proz. + App.

RU. jur. 1658

Hermann Lemke, Prus

Wälbrandt v. Robbigius, Prus.

mit Proz.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
**BENEFICIO
COMPETENTIÆ.**

Quam

DEO feliciter annuente

Ex Decreto & autoritate

Magnifici, Nobilissimi juxta ac Amplissimi J^{ur}torum
Ordinis in illuſtri & celeberrima Roſarum
ACADEMIA,

PRÆSIDE

Magnifico DN. RECTORE,
VIRO AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO,

HERMANNO REOBREY/
J. U. D. Cod. Publ. nec non Facultatis
Juridicæ p. t. DECANO ſpectabili,
Fautore ſuo honorando,

Pro ſummis in utroq; Jure privilegiis, Hono-
ribus ac Inſignibus Doctoralibus ritè conſequendis,
Publicè examinandam proponit

WULBRANDUS - ADOLPHUS
ROBBIGIUS ab Hallerspring, Weſtph.

Ad d. 21. Januarii, horis ante- & pomeridianis in Auditorio majori.

Typis Hæredum NICOLAI KILII Acad. Typ. Anno M. DC. LVIII.

PHYSIKALISCHES INSTITUT
UNIVERSITÄT ROSTOCK

Universitäts-
bibliothek
Rostock

In Nomine Domini Nostri JESU CHRISTI
ad omnia Consilia, omnesq; actus feliciter progre-
dimur l. 2. C. de offic. praf. prat.

PROOEMIUM.



*Explorati juris est, quod actio judicati, qua
fluit ex sententia condemnatoria Welsenbec. in tit. ff.
de re judic. n. 8. regulariter paratam habeat execu-
tionem l. 40. pr. ff. de minorib. l. 4. §. 4. ff. de re ju-
dic. l. 1. & tot. tit. C. de execut. rei judic. & quidem in
solidum l. 1. C. qui boni ced. poss. Welenb. p. 1. Con-
fil. 50. n. 17. Coler. de procesf. execut. p. 2. c. 3. n. 116. Tum quia qua se-
mel in judicium deducta, & per sententiam decisa sunt viresq; rei judicatae
acceperunt, non facile admittunt retractationem l. 55. & 56. ff. de re judic.
§. 6. Instit. quib. ex caus. manum non lic. l. 1. & tot tit. C. de re judic. Res
enim judicata habetur & accipitur pro veritate l. 207. ff. de R. J. Tum quia
judicio quasi contrahitur arg. l. 3. §. 11. ff. de pecul. Auth. Qui semel C.
quomodo & quando judex. & potius judicati obligatio, quam judicii origo
inspicitur d. l. 3. §. 11. Accedit, cum inter Sententia requisita etiam referatur
conformitas ejusdem cum libello arg. l. 18. ff. comm. divid. quod intentio-
nem actoris, modo sit probata, in condemnando judex sequi teneatur. Qua-
propter merito quoq; in solidum debebat fieri condemnatio, nisi nimiam hanc
generalitatem Clementissimi Legislatores coarctassent, & ex singulari gratia
contra inhumanos & satis rigorosos exactores, in favorem quorundam debito-
rum certa beneficia introduxissent, inter quae praeter ceteris, & illud fulget,
ne quis ultra quam facere potest, excutiat, h. e. ut tantum ipsi alimentorum loco relinquatur unde commodè & honestè
vivere possit Zaf. ad l. 16. n. 1. de re jud. observata tamen proportione status, di-
gnitatis & professionis, Hillig. ad Donell. l. 27. c. 9. lit. F f. Quod privilegium Do-*

Dores communiter beneficium competentie aut deductionis vocare assolent, quod ipsum Ego hac vice in quantum ob inveteratum hujus Almæ Balticæ Statutum pagellarum paucitas capere potest, loco inauguralis dissertationis pro themate, non ex usu fori planè extirpat, mihi delibandum elegi quia & adhuc hodie privilegiatis debitoribus ut alimenta & ad sustentationem necessaria deducant, hoc privilegio ritè succurritur, Carpz. p. 2. C. 25. D. 6. Licet quodammodo dissentiat Coler. de process. execut. p. 2. c. 3. n. 123. quem experientia abundè refutat, Carpz. p. 1. C. 32. D. 15. & 16. Sauterbach Disp. sua inaugurali th. 2.

Th. I.

Beneficium competentie, de quo in præsentiarum agere institui, in jure Justiniano totidem quidem verbis denominatum expresse haud reperitur, à re ipsa tamen & effectu satis describitur in §. 36. 37. & 38. Instit. de Action. l. 16. l. 17. l. 18. l. 19. l. 30. ff. de re judic. junct. l. 41. §. 2. in fin. eod. Quia verò vocis ministerio saltem ad indagandas rerum proprietates utimur l. 7. §. 2. ff. de supell. leg. anxie in verbis, ubi de re ipsa satis constat, scrutandum operæ pretium non autumo, l. pen. ff. ad exhib. l. 29. §. 4. ff. Mandati l. 38. ff. de V. O. Sed communi nomini, quod ferè omnes Doctores, qui unquam de hac materia scripserunt, usurpasse leguntur, insisto.

Th. II.

Unde autem competentie beneficium deducatur, non una omnium est opinio, Alii exinde illud derivatum existimant, quod, quemadmodum Prætorie quædam actiones ab initialibus Edicti, quo proponebantur verbis, nuncupantur; sic etiam de hoc beneficii ac gratie asylo agentes ut plurimum incipere solent, *competit autem hoc beneficium &c.* Alii aliter. Ego hisce relictis à competenti, h. e. sufficienti portione alimentationis, quæ debitoribus privilegiatis relinquenda est, illud deduco, adjectus l. 30. ff. de re judic. & arg. l. 22. §. 6. & 8. ff. solut. matt. Adeoq; hoc beneficium populariter ita describo, quod sit jus singulare, quo certis depauperatis personis ex speciali ratione succurritur, ut non in solidum, sed saltem in quantum facere possunt excutiantur, relicta ipsis ad sustentationem competenti, seu sufficienti portione l. 19. §. 1. l. 30. ff. de re judic.

Th. III.

Dixi esse jus singulare; quoniam in favorem certarum personarum autoritate constituentium singulariter, ac nova humanitatis ratione est introductum arg. §. 6. 7. de J. N. G. & C. l. 8. & 16. ff. de LL. Unde etiam recte

Definitio.

rectè beneficium indigitatur l. 63. §. 2. ff. pro sac. l. 13. salut. matrim. l. 41. §. 2. in fin. ff. de re judic. Quod ipsum interdum promiscuè nomine quoque privilegii à Principe indulti, venit l. 3. ff. de const. Princip. l. 38. in pr. ff. ex quib. caus. Maj. l. 18. ff. de stipulat. pret. l. fin. §. 1. C. qui pot. in pig. hab. junct. l. 1. & 2. C. de priv. eor. qui in sac. palat. milit. l. 12. Quamvis accurate loquendo inter beneficium & privilegium adhuc remaneat quædam differentia per d. §. 6. Instit. de J. N. G. & C. & 2. F. 23. Bartol. & Jason in d. l. 3. ff. de constit. princ.

Th. IV.

Causa efficiens hujus beneficii remota est *Jus*, Proxima, princeps Ro. *Causa Effec. Remota & Proxima.* manus. Ubi sciendum generaliter, eum qui in aliqua republ. summa tenet gubernacula, beneficia ac privilegia juris concedere posse; huic enim potestas, subditos à legis universalis vinculo solvendi ac iterum ligandi competit, Nam sicuti legis humanæ natura est, ut à voluntate non tantum quoad originem, sed etiam quoad durationem dependeat, ita etiam ex probabili causa vinculum Legis circa personam aut factum singulare relaxari potest, manente de cætero Lege *Gror. de jur. bell. & pac. lib. 2 c. 20. n. 24.* Hoc etenim modo differt ratio juris civilis à naturali, quod hæc velut Divinâ quadam providentia constituta, semper firma atq; immutabilis permaneat; illa verò sæpe mutari queat *per §. pen. Instit. de J. N. G. & C.* Et quamvis in libera Romanorum Republ. beneficia seu privilegia parcius concederentur, juxta præscriptum legis illius 12. tab. *Privilegia ne irroganto*, quæ tamen rationem potius abusus quàm veri usus spectare videtur; ne scilicet ex affectione magis, quàm ex æquo & bono irrogarentur. Posterioribus autem temporibus, cum Summa reipubl. ad Principem devoluta est, largior cœpit esse conferendi privilegii potestas. Quis verò in specie Romanus princeps fuerit, qui hoc beneficium nova sanctione introduxit ex l. 12. ff. de donat. l. 20. de re judic. l. 28. de R. I. ubi Constitutioni Divi Pii id adscribitur, haud obscure colligere licet,

Th. V.

Movens quod huic beneficio introducendo occasionem ac viam præbuit *Movens internum.* internam consistit generaliter quidem in ipsa æquitatis ratione; *ternum.* arg. l. 20. in f. ff. de re judic. quæ in omnibus quidem maximè verò in jure est spectanda l. 90. ff. de R. I. l. fin. C. de fidei comm. & rigido ac stricto juri est præferenda l. 8. ff. de pact. l. 51. in f. ff. ad L. Aquil. l. 8. C. de judic. sum

Externum.

cum benevolentia & amore, quo bonus princeps subditos suos complectitur, eorumq; calamitatibus imperiali solertiâ medetur, conjuncta, *c. 1. de prohib. Feud. alien.* Specialiter verò tum in intimiori certarum personarum conjunctione, tum in arctiori necessitudine civili, tum in matrimonii favore & honore, tum in benemeritis tum in commiseratione. *Externum*, fuit durissima obœratorum conditio, quæ vivis quasi coloribus apud *Aul. Gell. lib. 20. c. 1. & Carol. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. lib. 1. c. 6.* depingitur, & rigorosus judicii strepitus. Quamvis enim extra judicium tuti videbantur, nec tantum periculi sibi metuere habebant, siquidem judex non, nisi imploratus officium suum impertiri dicitur *l. 4. §. 8. ff. de damn. infect.* und wo kein Kläger ist, da ist auch kein Richter *l. 25. §. 8. in ff. de Edilit. edict. l. 1. §. 10. ff. de oper. nov. nunc.* in judicium tamen ducti non modo in solidum conveniebantur, sed etiam ad ultimum usq; teruncium, & quod dicitur ad peram & saccum excutiebantur, quam duritiem circa quasdam personas prudentissimus Legislator ex singulari ratione mitigandam esse censuit,

Th. VI.

Dixi porro quod hoc beneficium certis tantum personis fit tributum; Est enim personale, adeoq; personæ inhæret, & cum eadem extinguitur, nec ad heredes transmittitur *l. 12. l. 13. ff. solut. matr. l. 25. ff. de re judic.* Quemadmodum & aliâs beneficia seu privilegia non solum certæ alicui personæ, sed etiam integro ordini, ut puta Creditorum, Pauperum, Studiosorum &c. concessa, personam aut ordinem minimè egrediuntur: Et quamvis hæc posteriora de natura realis beneficii quicquam participare videantur, quod successores eodem jure gaudeant, id tamen non fit jure successionis seu transmissionis, sed jure Concedentis singulari per benevolam ex ipsa conferentis voluntate deductam interpretationem, ita ut horum successorum privilegium non numero, sed specie idem censeatur cum eo, quod defunctus habuit, *Bachov. ad Treutl. vol. 1. D. 1. th. 6. Lit. G.* quibus consideratis non est ut scrupulum aliquem moveat *l. 18. pr. ff. solut. matr.* quæ etiam filiis hoc beneficium attribuit.

Th. VII.

Quænam autem sint certæ istæ personæ, quibus hoc beneficium detur, nunc dispiciendum erit: Competit verò quibusdam ob intimiorem conjunctionem naturalem, quæ est sanguinis; Quibusdam ob arctiorem necessitudinem civilem; Quibusdã ob matrimonii honorem & reverentiam; Quibusdam ob benemerita; Quibusdam deniq; ob commiserationem

miserationis causam. Ob conjunctionem sanguinis datur (1.) Parentibus *Parentes.*
adversus liberos, sive sint sui, sive emancipati nihil interest §. 38. *Inst. de
action. l. j. §. 1. ff. de agnosc. & alend. lib. l. 16. in fin. ff. de re judic.* Si verò
in sacris paternis adhuc sunt constituti, casus ponendus est, quo inter fi-
lios & parentes actio esse potest ex *l. 4. ff. de judic. Sneider. ad §. 38. Instit.
de action. n. 1.* Non tamen sola pro parentibus militat sanguinis con-
junctio, sed etiam reverentia, quam liberi omni jure parentibus exhibe-
re debent: Hanc enim non solum supremus legislator Deus T. O. M.
post honorem & cultum, quo ipse coli vult, præcipit *Exod. 20. v. 12. Deut.
5. v. 16. Matth. 15. v. 4. Marc. 7. v. 10. ad Ephes. 6. v. 1. & 3.* Sed etiam civi-
lium legum conditores piè inculcant, semperq; liberis honestam ac san-
ctam personam parentum videri volunt. *l. 6. l. 13. ff. de in jus. voc. l. 4. ff. de
curat. furios. l. 9. & tot. tit. ff. de obs. parent. & patr. præst.* adeo ut nullum
actum liberi exercere valeant, per quem honor parentum offendatur
aut lædatur *l. 11. §. 1. ff. de dol. mal. l. 4. §. 16. ff. de dol. mal. & met. except.* ut
hoc latius deducit *Berlich. part. 1. Conclus. præct. 74. n. 10. & seqq.* Eadem
hæc naturalis conjunctio ac reverentia facit, ut liberi parentes suos ege-
nos alere teneantur *l. 5. §. 13. ff. l. 1. & 2. C. de agnosc. & alend. lib. ac pa-
rent.* multò magis ipsis judicio pulsatis tantum, quantum ad sustentationem
sufficit, relinquendum esse jura censuerunt: cui enim damus actionem,
ei multo magis Exceptionem competere quis dixerit *l. 1. §. 4. in f.
ff. de superfic. l. 15 6. §. 1. ff. de R. I. & dolo facit, qui petit id, quod illico est
redditurus l. 8 pr. ff. de dol. mal. & met. except. l. 173. §. fin. de R. I.*

Th. VIII.

Parentum a. nomine hîc veniunt Ascendentes omnes utriusq; sexus,
tam paterni quàm materni in infinitum *l. 4. §. 2. ff. de in jus. voc. l. 1. §. 1. ff. de
legat. præst.* Nec solum Naturales ac legitimi simul, sed etiam Naturales
tantum *arg. l. 6. de in jus. voc. Nov. 89. c. 12. §. 4. & 6.* utpote quos jus civile
quidem etiam quodammodo agnoscit *tot. tit. ff. de Concubin.* non tñ. pro
legitimis per omnia habet; Non secus ac naturalem obligationem, quam
quidem sustinet, dum certos effectus ei attribuit, veluti quod exceptionem
producat *l. 7. §. 4. ff. de pact. quod constitui & novari possit l. 1. §. pen. de
constit. pec. l. 1. §. 1. de Novat. fidejussorem admittat §. 1. Instit. de fidejuss. l. 6. §. 2.
& l. 7. junct. l. 16. §. 3. ff. eod. quod locum compensationi faciat l. 6 ff. de compen-
sation. & indebiti conditionem impediatur l. 13. l. 26. §. 12. ff. de Condict. indeb.
l. 16. §. 4. ff. de fidejuss. l. 10. de O. & A. Non verò in totum eandem approbat*

Qui veniunt
nomine Pa-
rentum.

d. l. 7. §. 4. ff. de pact. Non tñ, ad parentes qui ex damnato coitu liberos genuerunt arg. § pen. Instit. de Nupt; ne beneficio legum afficiantur qui in legem commiserunt l. 37. §. 1. in fin. de minorib. Uti nec ad parentes legitimos tantum seu Adoptivos; ne quod juris fictione est constitutum, per omnia veritati æquiparetur, vel etiam naturæ rerum prævaleat, arg. pr. Instit. de excusat. tut. l. 76. ff. de condit. & demonstr. 2. F. 26. c. adoptivus. Quinimo nec ad Vitricum & Novercam qui affinium potius, quam parentum nomine indigitantur §. 7. Instit. de nupt. l. 4. §. 3. & 4. ff. de grad. de quibus jura talem, qualem de veris parentibus præsumptionem non concipiunt l. 4. ff. de inoff. test. l. 22. in fin. C. de administr. tut. l. 1. C. ubi pupill. educ. deb. l. 3. & l. 11. C. de furt. hoc beneficium est extendendum.

Th. IX.

Liberi.

Ad intimiorem sanguinis conjunctionem (2) pertinent liberi l. 18. in princ. ff. solut. matrim. l. 5. §. 4. ff. de agnosc. & alend. lib. l. 30. ff. de re judic. l. fin. §. 5. C. de bon. quæ lib. Nov. 117. c. 7. quorum appellatione videntur non solum primi, sed etiam ulterioris gradus, nepotes, pronepotes, & qui ex his descendunt l. 220. pr. ff. de V. S. §. ult. Instit. qui testam. tut. dar. poss. Nec solum Naturales ac legitimi simul, sed etiam Naturales tantum; Non tamen ex damnata nefariaq; conjunctione prognati, uti nec Adoptivi neq; privigni; cum correlativorum idem sit iudicium, eadem disciplina, ita ut dispositum in uno, regulariter procedat quoq; in alio l. ult. C. de indicta viduit. toll. Everhard. in topic legal. loc. à correlativ. Nec movet quoad liberos naturales ac legitimos dubium, quod quidam d. l. 30. ad certum aliquem casum, puta donationis referant, adeoque objectum potius, quam subjectum in terminis considerent. Sed quia donatio inter Patrem & filium propter impossibilitatem juris non subsistit: cum omne quod filius acquirit, patri obveniat, & ita sibi ipse donare videatur, quod inhibet, l. 11. C. de donat. omnino dicendum est, Jctum non loqui de tali actionis qualitate, quæ esse non potest, arg. l. 116. de V. O. Sed potius illum agere de triplici subjecto, cui haud inconcinne etiam liberos includit. Idem quoque beneficium attribuendum venit filio, qui post contractum à patre est emancipatus, & ita sui juris factus, modo hereditate paterna abstineat l. 2. ff. & C. quod cum eo. Nec non legitime à patre ex heredato l. 49. ff. de re judic.

Th. X.

**Fratres &
Sorores.**

Ob sanguinis quoq; conjunctionem (3) Fratres & Sorores, si à se invicem

invicem conveniantur, rectè hoc fruuntur beneficio, ut non nisi in quantum facere possint, condemnentur *arg. l. 63. in fin. pr. ff. pro soc.* Cum enim Socii præsentis beneficio ex hac ratione utantur, quod sint instar fratrum, hinc eo magis veri fratres, quod admittuntur; ne minus possit natura, quam accidens, veritas quam fictio *Coras. ad §. 38. Instit. de action.* & ne trita ista philosophorum regula, propter quod unumquodq; tale est, illud magis est tale hic sine causa officium suum perdat. Accedit, quod frater à fratre sit alendus *l. 13. §. fin. de adm. & per. tut. l. 4. ff. ubi pupill. l. 1. §. 2. de tutel. & ration. distr.* Adeoq; si frater à fratre vel sorore, & vice versa solidum peteret, in dolum incideret; quippe cum peteret id, quod statim restituere necesse haberet *l. 173. §. ult. de R. I.* Non solum autem fratribus ac sororibus germanis hoc beneficium dandum, sed etiam ad consanguineos & uterinos porrigendum, quamvis quoad uterinos plurimos habeam repugnantes, ex ea præprimis ratione, quod frater non cogatur dotare ex alio patre natam, sed saltem germanam & consanguineam *l. 12. §. 3. ff. de administr. tut.* Non tamen ad comprivignos & fratres sororesq; Adoptivos hoc est extendendum. Minimè insuper hoc privilegium est accommodandum Fraternitati illi, quam omnes Christiani inter se colere videntur, id etenim everteret distinctionem subditorum, quorum quædam in solidum, quædam in quantum facere possunt, tenentur. *Duaren. ad l. 16. ff. de re judic.*

Th. XI.

Ob arctiorem necessitudinem civilem competit Sociis, qui propter fraternitatem voluntariam, quam societatem ineundo contraxerunt, in id quod facere possunt, condemnantur, sive sint universorum bonorum, sive unius rei Socii *l. 63. pr. ff. pro soc.* Nec huic assertioni refragatur *l. 16. ff. de re judic.* Ulpianus enim autor harum legum, mentem satis declarat *in d. l. 63.* adeoq; hoc sensisse non putandus est, quasi solum inter universorum bonorum socios obtineat; nam qui affirmat quod magis est probabile, non statim negat, quod minus probabile est. Et valde incivile est, totâ lege non inspectâ, velle de parte ejus judicare *l. 24. ff. de LL. cum leges, licet titulis disjunctæ, tamen, quia in Digestis continentur, pro una magna lege habeantur Duaren. ad l. 17. solut. matr.* Deinde hoc privilegium Sociis dicitur tributum, qui, sive sint universorum bonorum, sive unius rei, Socii tamen sunt, nec propter magis & minus naturam immutant. Imò leges ita sunt interpretandæ, ut amicè sibi

Sociis.

sibi invicem respondeant, *l. unic. C. de inoff. dot.* nec statim dissonantia LL; est fingenda, ubi aliunde ratio diversitatis haberi potest. *l. 2. §. 15. C. de vet. jur. enucl.* Hæc tamen circa Socios notanda venit differentia, quod Socius omnium bonorum privilegium hoc in omnibus habeat, quacunq; etiam actione à Socio conveniatur; unius verò rei Socius extra societatis causam etiam in solidum conveniri possit. *§. 38. Instit. de action. & d. l. 63. Brun. de cess. bon. g. p. 2. 4. q. 33. Mynsing. ad §. Sed etsi quis, Instit. de action. lit. B.*

Th. XII.

Maritus.

Ob matrimonii honorem & reverentiam hoc jure succurritur (I.) Marito; si enim maritus ab uxore ex causa dotis vel aliis contractibus in judicio conveniatur, non fit in solidum condemnatio, sed deducitur sufficiens, unde vivere possit *§. 37. Instit. de action. l. 17. l. 20. l. 21. & 24. §. 1. ff. de re judic.* quod ipsum non tantum constante, sed etiam dissoluto matrimonio procedit, modo de gestis, illæso matrimonii vinculo, negotiis cum illo agatur *l. unic. §. 7. C. de R. L. A.* Nam si dissoluto conjugio quicquam cum ea, quæ antea uxor fuit, gessisse dicatur, in solidum tenetur *l. 35. in pr. ff. de negot. gest.* nisi negotium post divortium habitum sit accessio principalis obligationis contractæ; Unde si maritus dotem, quam uxori debet se soluturum, soluto quamvis matrimonio, constituerit, beneficium hoc factum tectum habebit *l. 3. in pr. ff. de constit. pec. & ibi Gotofr. lit. q. Duaren. ad l. 20. de re judic.* Matrimonium autem, cujus respectu hoc privilegium competit, oportet esse justum, ac secundum præscriptum legum contractum *l. unic. ff. unde vir & ux.* Quid verò dicendum, si maritus dotem adhuc integram possideat, an & tunc huic beneficio locus erit? quod affirmo *per l. 53. Solut. matr.* Ubi Tryphonius refert, filiumfam. dotis actione ab uxore sua conventum, non in solidum condemnandum esse, nec interesse in peculio rem vel pecuniam dotalem filius habeat, sicq; possideat, nec ne, cui sententiæ subscribit *Harpr. ad §. 37. n. 5. Instit. de action.* item *C. A. tom. 2. ad tit. de re judic. n. 34.* quamvis alii, quam plures hanc assertionem *per l. 41. §. 1. ff. de re judic.* frustra impugnatum eant; Neq; enim Maritus in hoc quod res penes illum existit dolum committit, dum se exceptione defendere latagit; suo enim jure qui utitur, nemini facit injuriam, nec dolum commisisse dicendus est *l. 13. §. 1. ff. de injur. l. 55. ff. de R. l. l. 4. C. ad L. Jul. de adult.*

Quod

Th. XIII.

Quod modo de Marito dixi (2.) etiam in mulieris persona ob eandem Mulier.
 dem honoris matrimonialis rationem & arctissimam ac individuum vi-
 tæ consuetudinem observandum esse, summa æquitatis suggerit ratio,
l. 20. ff. de re judic. adeoque si ob dotis promissionem, vel aliam causam
 marito condemnatur eandem, quam habet maritus exceptionem, mu-
 lier consequitur *l. 17. §. 1. ff. solut. matr.* fuit enim totius vitæ socia, quæ in
 opprobrium mariti mendicare haud cogitur *Carpz. lib. 4. Tit. 8. Resp. 58.
 n. 1.* Nec decet hanc conspiciere egentem, quam prius habuit in con-
 jugio, *c. unic. de not. feud.* quod utique fieret, si mulier solidi exactionem
 effugere non posset. Hæc de Marito & Uxore. De desponsatis verò
 idem non obrinet *l. 1. §. 2. pro dote*; Licet improprie & analogice Spon-
 sus pro marito, & virgo desponsata pro uxore interdum veniat *Carpz.
 p. 3. C. 19 D. 13. n. 13.* Attamen re penitus inspectâ, inter sponsalia ut vo-
 cantur de præsentis & ipsum matrimonium formaliter consideratum ad-
 huc hodie magna est differentia: nam quemadmodum differunt emptio
 perfecta nudo consensu, citra tamen traditionem rei, & quæ rei vendi-
 tæ traditione consummata est, ita etiam & hæc inter se discrepare viden-
 tur *Suthold. Dis. 2. Aphor. 10.* quam differentiam benedictio sacerdoti-
 lis, quæ ad nuptias necessario requiritur *caus. 30. q. 5. c. 1. 2. & 5.* magis
 conspicuam facit. Quapropter cum præsens privilegium ipsum ma-
 trimonium dotisq; causam & alia negotia cum uxore contracta respici-
 at, uti ex *d. l. 17. & l. 20. de re judic.* satis constat, sponsalibus verò nudis
 hæc non adsint, omnino concludendum est, quod personis tantum de-
 sponsatis hoc beneficio non subveniatur.

Th. XIV.

Matrimonii quoq; intuitu (3.) beneficium hoc datur Soceris Socer.
§. fin. l. 16. l. 17. pr. ff. solut. matr. l. 21. l. 22. pr. ff. de re judic. neq; solum pa-
 tri mariti si à nuru conveniatur *d. l. 15. §. fin. ff. solut. matr.* Sed etiam pa-
 tri uxoris si à genero pulsetur *d. l. 17. pr. dict. tit. d. l. 21. ff. de re judic.* Et
 quidem Patri mariti indistinctè hoc beneficium competit, ita ut sive
 constante sive dissoluto matrimonio conveniatur, in id solum, quod fa-
 cere potest, sit condemnandus, *d. l. 15. §. fin. solut. matr. & d. l. 21. de re judic.*
 Cum idem ferè honor ei, qui parenti debetur, tribuatur *d. l. 15. §. ult. &
 l. 16. solut. matr.* Quoad patrem uxoris res videtur quodammodo intrica-
 tior, ob specie discrepantes inter se leges, quæ ingenia Dd. mirè tor-
 quent; Res distinctione commodissime resolvi potest, ut sc. constante

inter filiam & generum matrimonio, etiam patri uxoris hoc beneficio succurratur *l. pen. ff. de jur. dot. l. 17. pr. ff. solut. matr. l. 22. in fin. pr. ff. de re judic.* Dissoluto vero matrimonio non aliter nisi circumstantiæ causarum ac personarum id suadeant, *d. l. pen. de jur. dot. d. l. 22. in pr. de re judic.* Quid enim, si socer specie h. e. prætextu seu ostentatione futuræ dotis induxerit genero, & cum sciret se dotem prætare non posse, id egerit, ut genero insidiaretur *d. l. pen. de jur. dot.* Idem igitur beneficium genero & nurui attribui posse correlativorum natura suadere videtur *arg. l. 3. C. de natur. lib.*

Th. XV.

Milites
armati.

Competit etiam hoc beneficium Quibusdam ob benemerita, & tunc vel respectu reipublicæ, vel respectu privatorum; Respectu reipubl. Militibus, qui sub armata militia stipendia merent; iniquum enim foret, ut is, qui summa pro republ. subit pericula, condemnaretur in solidum *l. 6. l. 18. ff. de re judic.* quippe cum militum conditio in multis juris articulis valde sit favorabilis *l. scimus C. de jur. delib.* ita ut illos excuset ignorantia juris propter curam armatæ militiæ, & si prætermiserint exceptiones peremptorias, possint eas post sententiam opponere; modo fiat ante executionem *l. 1. C. de jur. & fact. ignor. l. peremptorias C. sent. resc. non poss.* Imò plura alia, circa testamenti subjectionem, circa condemnationem in criminalibus: ne sc. quæstioni subjiciantur *l. milites. pr. C. de quæst.* Specialiter ipsis concessa reperiuntur. An verò eodem privilegio gaudeant milites moderni? quod ex ratione impulsiva, quæ etiam adhuc viget, statuendum duco; quia & hodie defensione indigemus, quapropter æquum est ut illi, qui defendendo patriam sunt solliciti, militum privilegia retineant *Zoannett. Tract. de Rom. Imp. n. 61.* Vafallis etiam, cum hac conditione feuda accipiant, ut domino operam militarem præstent *2. F. 7.* præsens beneficium attribuo, licet actu semper militiæ non insistant, quod non requiritur; sed sufficit ut adruendum dominum in perpetuo procinctu sint, & Vocati, statim comparere queant *Georg. Schulz Synops. feud. c. 10. n. 24.*

Th. XVI

Milites
rogati.

Ex usuali interpretatione hoc beneficium etiam tribuitur Doctoribus, Professoribus, Advocatis & Clericis *Gloss. in l. 18. ad verba: armata militia. ff. de re judic. Coler. de process. execut. part. 2. c. 3. n. 119. Hartm. Hartm. tit. 18. observ. 2. n. 17 & seq. Dyn. in c. privilegium d. R. I. in 610 & plures ibid.*

ibid alleg. quia non minus provident generi humano, quam si præliis & vulneribus patriam parentesq; salvarent *l. 14. C. de advocat. divers. judic.* Quinimo & Nobilibus prout latius hoc ex probatis Authoribus & sanis rationibus deducit, & variis præjudicatis confirmat *Carpz. p. 1. C. 32. D. 15. & 18. Item p. 3. Decis. 260. per tot.* **Dasß das Beneficium competentia denen Illustribus, Adelspersohnen / Doctoribus und Clericis nach gemeinen Bahn der Rechtsgelehrten / heutiges Tages auff Sächsischen Boden gleichfalls und nicht weniger als den Kriegsleuten zustehet.** Dixi ex usuali interpretatione, statuta enim & mores cujuscunq; regionis præprimis hæc attendenda veniunt *l. 34. ff. de R. I. nec facile extra limites extensio facienda; quamvis sententiam hanc veluti benigniorem vel ideo ab eruditis propugnandam esse, ne ipsi sui ordinis viros in angustia rei familiaris, sæpe fortunæ magis, quam suo vitio, constitutos, ope suâ deserant, rigidæ duritiei fœneratorum denudandos exponant, moneat Hillig. in Donell. enucl. lib. 27. c. 9. lit. N.*

Th. XVII.

Respectu privatorum competit (1.) Patrono adversus libertum *Patronus.* *l. 7. §. 1. ff. de obs. par. & patr. præst. l. 17. ff. de re judic.* libertus etenim nullus dicitur nisi relatio fiat ad patronum, à quo ingens libertatis beneficium, quod inæstimabile dicitur *in l. 106. ff. de R. I. consecutus est, adeoque ad quævis obsequia Patrono devinctus dicitur, & in tantum liberto Persona Patroni sancta & honesta esse debet per l. 9. ff. de obs. par. & patr. præst. ut absq; impetrata venia non liceat Patronum in jus vocare §. 12. Instit. de action. l. 4. l. pen. & ult. ff. de in jus voc. nisi pœnam 50. aureorum incurrere, aut si inopia laborer, corporalem coercitionem sustinere velit l. 1. in fin. ff. de pœn. Nec potest patronum convenire actione quadam famosâ, ubi doli vel fraudis fiat mentio *l. 5. §. 1. ff. de obs. par. & patr. præst. l. 17. ff. de re judic.**

Th. XVIII.

Ob benemerita respectu privatorum (2.) etiam Donator solidi condemnationem effugit, si fortè ex liberalitate sua à donatario conveniatur *l. 12. ff. de donat. l. 19. §. 1. l. 30. l. 41. in pr. ff. de re judic l. 28. ff. de Reg. jur. ne ex sua liberalitate inops periclitetur l. 50. ff. de re judic, nam quæ-*

fo, quis avarè & acerbè cum illo ageret, qui in nos liberalis fuerit: itaq; rite perpenditur & personæ conditio *l. 173. ff. de R. I.* & ipse actus, qui ob nullam aliam causam fieri debet, quàm ut ostendatur munificentia & exerceatur liberalitas: Si verò commòdum dantis promoveat, potius permutatio seu remuneratio, quàm vera donatio est *l. 25. §. 11. ff. de hered. petit. Mysing. ad §. sed etsi quis Instit. de Action. in fin. n. 8.* Quod si quis conveniatur ut possessor, ex fortuita donatæ & traditæ rei recuperatione, non munitus est hoc jure singulari *per l. 41. §. 1. ff. de re judic. ubi Duaren.* Manet tamen inter donatorem & alium, qui restituere jussus est, ratione fructuum differentia, quod ille post L. C. teneatur tantum de extantibus, hic etiam de consumptis *per d. l. 41. §. 1.* Hoc verò speciale est, quod; cum pinguius & plenius jus habeat donator ob liberalitatem, quàm cœteri, qui verum debitum persolvere compelluntur *l. 49. in fin. l. 50. de re judic. l. 173. de R. I.* ex donatoris tamen bonis prius deducendum sit omne æs alienum *l. 54. ff. solut. matr. l. 12. ff. de donat. d. l. 19. §. 1. de re judic.* Excepto eo, quod ex eadem caula debetur; tum enim occupantis melior est conditio *d. l. 19. pr.* Ratio hujus juris specialis est, ne ex liberalitate inops fieri periclitetur, *l. 50. ff. de re judic.* & ne liberalitas vergat in præjudicium creditorum, siquidem alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri, *l. 74. ff. de R. I. Vultej. ad §. fin. Instit. de Action. n. 9.*

Th. XIX,

Qui bonis
cessit.

Tandem Quibusdam tribuitur ob commiserationis causam, puta, qui debito modo bonis cesserunt, non qui cedunt; hisce enim nihil nisi ex gratia creditoris relinquitur. *Habui ante hac in Alma hac Rosarum Academia sub Praesidio Consultissimi Dn. Redeferni / J. U. D. & P. P. Favoris & Hospitiis mei populari pectore venerandi disputationem de Cessione bonorum ubi th. 8. & 11. hanc rem latius pertractavi, ad quam me brevitatis studio refero.* Quoniam verò per cessionem obligatio non est sublata *l. 1. C. quibon. ced. poss. ibid. Peretz. n. 15.* Ideoq; Reliquatores, uti vocantur *l. 9. §. 2. de publ. & vel. & l. 102. §. 2. de solut.* tenentur creditoribus de residuo, cujus respectu, si eum illis denuò agatur, exceptionem hanc consequuntur. **Non sum condemnandus ultra quàm facere possum, quàm oppositâ id efficitur, ut debitori idoneum emolumentum maneat, unde vitam honestè sustentare possit, quod ipsum judex pro personæ qualitate**
 & con-

& conditione modo auget, modo minuit; ne semel fortunis suis spoliatus, in solidum damnetur per §. fin. Instit. de action. l. 6. ff. de cess. bon.

Th. XX.

Visis jam personis quibus hoc beneficium competit, agendum porro est de illis quibus non competit, ubi in genere sciendum est, quod ex doli clausula nemini succurratur, per l. 22. in fin. ff. de re judic. l. unic. Quibusdam personis non competit.
§. 7. C. de R. U. A. ne dolo alicui proficit l. 63. §. 7. ff. pro soc. cum non decipientibus, sed deceptis jura opitulentur l. 2. §. 3. ff. ad SCtum Vell. ideoque qui se commisso dolo inhabilem reddidit, ad hoc asylum ex post facto confugere non valet; inhabiles enim nunquam ad beneficia juris admittuntur l. 8. C. quand. prov. non est. Huic gravissime obstat videtur l. ult. C. de revoc. his, quae in fraud. cred. alien. sunt, ad quam interrogatus, bono cum Deo in ipso conflictu respondebo. Excipiuntur ab hac generalitate Parentes & Patroni, adversus quos nulla famosa actio institui potest l. 11. & l. 12. de dol. mal. & l. 4. §. 16. ff. de dol. mal. & met. except. Filius vero, qui se patrem fam. esse mentitus est, & quando ex delicto suo convenitur, in solidum tenetur l. 4. §. 1. & 2. ff. quod cum eo. l. 10. ff. de re judic. Ob eandem rationem etiam Socio admittitur hoc privilegium l. 67. in fin. pro soc. quia mendacium circa id, quod fundamentum & privilegii causa est, facit cessare ipsum privilegium arg. l. 10. §. 1. ff. de fidej. ff. vid. Cuch. in addit. ad Dec. de R. I. L. 28. lit. D. Quapropter cum haec ratio non minus in reliquis debitoribus privilegiatis, quam in filio & Socio militet, merito ad reliquos quoque extenditur vid. Cuch. d. l. Nec insuper admittuntur, qui auctori de integra solutione facienda, si ad meliorem fortunam pervenerint, cavere detrectant l. 47. §. 2. ff. de pecul. l. 63 §. 4. ff. pro Soc. d. l. unic. §. 7. C. de R. U. A. Nec denique qui supina negligentia, prodigalitate, lusu, aliisque modis inhonestis sibi calamitatem accersiverunt, hi, quia ad cessionem non admittuntur, merito etiam a beneficio quod ex ea fluit, repelluntur: Quoniam Bancoruptores, qui Germanice Bancrottierer / & Italice Falliti dicuntur, nulla commiseratione digni reputantur R. I. de Anno 1548. & 77. Tit. von verdorbenen Rauffleuten / sed furibus comparantur, unde in jure nostro fraudatores dicuntur, l. 8. ff. Depos. Calumniatores, l. 223. de V. S. Deceptores, in l. 29 C. de pact.

Th. XXI.

Porro non competit hoc beneficium veluti personale heredibus, l. 12. l. 13. ff. solut. matr. l. 25. ff. de re judic. l. in omnibus & 8. ff. de R. I. Neque

B 3

fidejus-

fidejussoribus d. l. 63 § 1. ff. pro socio. l. 24. pr. l. 41. in fin. pr. ff. de re judic. d. l. 13. junct. l. 7. ff. de except. Cessat quoque idem privilegium ex Doctorum sententia, si ipse actor adeo sit pauper, ut non habeat, unde se sustentare queat; cum ordinata charitas à se ipsa incipere debeat, Dd. com. allegati à C. A. in tit. ff. de re judic. th. 35. n. 2. Sed an huic beneficio renunciari possit? Ita videtur, siquidem omnes licentiam habent, his, quæ pro se introducta sunt, renunciandi l. 29. C. de pact. Excipiuntur tamen illæ personæ, quibus reverentia debetur, veluti Parentes, Patroni & mariti, quorum renuntiationem, veluti contra bonos mores, interpositam servari non oportet per l. 14. §. 1. & l. 17 §. 1. ff. solut. matr. Carpz. p. 1. C. 32. D. 19. Etiam si juramento fuerit confirmata; cum juramenta saltem in tantum obligent, in quantum possibile sunt eis, qui jurant, nec sunt vinculum impossibile, quorum nulla est obligatio, l. 135. l. 182. & l. 185. ff. de R. I. & in quantum non lædunt pietatem & honestatem, contra quam nihil nos facere posse credendum est l. 15. ff. de condit. instir. cum ea tantum possimus, quæ honestè possumus l. 7. ff. de usu & habit. Cum itaque prior actus renuntiationis in se & suâ natura est invalidus, non potest per juramentum confirmari l. 5. §. 1. C. d. LL. Carpz. p. 3. C. 1. D. 29. n. 10.

Th. XXII.

Forma
interna &
externa.

Quantitas.

Jam ad hujus beneficii formam, quæ vel est interna vel externa, progrediendum esse existimo, interna, ex ipsius definitionis explicatione deducitur, externa consistit in modo deducendi, seu ipsa deductione portio- nis de jure competentis, mediante tñ. exceptione. In qua deductione Tria potissimum consideranda veniunt (1) Quantitas. (2) Personæ. (3) Tempus. Circa quantitatem imprimis substantia patrimonii ejus qui convenitur, inspicitur, an ad totum æs alienum exsolvendum sit sufficiens & tam ampla, ut post factam executionem supersit, unde, licet minori cum splendore, conventus vivere possit. Coler. de process. execut. p. 2. c. 3. n. 115. Si vero idoneus non inveniatur, non statim omnes facultates ei auferendæ sunt, sed tantum deducendum est, ne eget l. 19. §. 1. l. 30. ff. de re judic. l. 173. pr. ff. de R. I. quæ tamen deductio alimentationis non ex patrimonii proprietate, sed ex ejus accessionibus & fructibus æstimatur, quid & quale sit idoneum emolumentum, quod hiis privilegiariis debitoribus relinquendum veniat arg. l. 6. ff. de cess. bon. ibi. Bart. & Angel. vers. idem si quis in fin. n. 11. Schneidrv. ad §. Sed & si quis n. 7. Instir. de action.

Th. XXIII. In

Th. XXIII.

In Deductione Quanti (2) Personæ etiam perpendantur necesse est, quarum vel status vel ætas indagatur, illius respectu utiq; nobilibus, aliisq; in dignitate constitutis plus ratione alimentorum relinquendum, quam plebejis, quorum industria, valetudo, & opificii qualitas interdum deductionis beneficium planè impedit: ne ex laborioso & industrio artifice fiat unus ex validis mendicantibus, contra *l. i. C. de valid. mendicant.* Cùm e contra Nobiles à teneris delicatè educati, imò lautioribus cibus & poculentis assuefacti sint, Hinc putat *Coler d. l. n. 117.* Satis esse Rusticis, in casu ubi solidi exactio adversus illos denegatur, si pro victu quotidiano illis constituatur, Panis ater, allium, cepe cum caseo, quod approbat *Carpz. p. 1. C. 32. D. 16.* Adhibenda tamen sunt aliarum personarum similis ordinis exempla, ut ex opposito eo melius appareat, quantum & reo convento ad sustentationem sufficiat, ut tutius in reliquum condemneretur *Mynsing. ad §. item si de dote Instit. de action. n. 3.*

Personæ.

Th. XXIV.

Circa personam porro ætatis etiam habenda est ratio, observatâ & retentâ simul status discrepantia; minores etenim seni & valetudinario deducuntur sumptus, quam pleno succo & sanguine, quem diutius viturum verisimile est *Mynsing. ad d. §. item si de dote.* Hominem namq; usq; ad centum annos vivere posse, præsumitur, *l. 56 ff. de usufr. l. 8 ff. de usu & usufr. leg. l. 23. C. de SS. Eccles. Carpz. p. 3. C. 15. D. 57. n. 3.* ideoq; recte in deducenda alimentatione ætatis ratio instituitur. Porro sub verbo victus & alimentorum non tantum ea, quæ ad esum potumq; pertinent, comprehenduntur, sed etiam vestes, ne quis nudus incedere obstringatur; Lectus, ne sordidè vivere incipiat; Habitatio, ne sub cælo intectus imbrium injurias sustinere teneatur *l. 6. de alim. leg. ubi Gotofr. l. 25. §. 3. de aur. & argent. leg. l. 234. §. fin. ff. de V. S.* Hinc quæruntd, an hæc etiam familiæ profint? quod honestatis ratione omnino dicendum videtur: *arg. l. 22. §. 8. ff. solut. matr. l. 3. §. 6. ff. de pen. leg. & auth. habita C. ne fil. pro patr.* quomodo enim hic honestè viveret, qui familiam egentem ubiq; conspiceret *vid. Wesenb. Cons. 50. n. 22.* qui latius hanc quæstionem pertractat, & *Carpz. p. 1. C. 32. D. 17. n. 3. & 4. & p. 3. Decis. 260. n. ult. ibi.* Daß bey der Hülfse (oder execution) Ihnen vor Sich und Ihre

Ihre familien die nothwendige alimenta zu lassen / und derogestate Ihnen das jus competentiae zu statten komme.

Th. XXV.

Tempus.

Deniq; (3) Tempus, in æstimatione quod quis facere potest, observari oportet, cum sæpe facultates ex temporum vicissitudine modo crescant, modo decrescant per *l. 40 ff. de pecul.* quod est rei judicandæ seu judicatæ *l. 63. §. 6. pro soc. l. 15. in pr. l. 53. solut. matr. Umm. de process. Disp. 8. th. 4. n. 31.* Qui igitur tempore rei judicatæ ad solvendum idoneus invenitur, in solidum condemnatur, & è contrario qui L. C. tempore solvendo existit, tempore verò sententiæ desit, gaudet hoc privilegio. Idem dicendum videtur de eo, qui L. C. tempore non fuit privilegiatus, tempore verò sententiæ, aut post sententiam ante tamen executionem privilegiatus factus est, *arg. l. 5. in pr. ff. quod cum eo qui in alien.*

Th. XXVI.

Effectus.

Effectus hujus beneficii est exceptio *l. 17. §. 1. ff. solut. matr. l. 7. ff. de except.* de qua; utrum sit dilatoria an peremptoria non immeritò dubitatur; quia verò actionem institutam planè non perimit, & tollit, sed residui obligationem tamdiu suspendit, donec ad meliorem fortunam perventum fuerit, *l. unic. §. 7. C. de rei ux. act.* pro peremptoria haberi non poterit, sed dilatoria censebitur, non tamen regularis; cum etiam post litem contestatam, post sententiam, imò in ipso executionis actu opponi queat *l. 17. §. fin. ff. solut. matr. l. 41. §. fin. ff. de re judic. Carpz. sæpius alleg. p. 1. C. 32. D. 15. n. 9.* Exceptio autem hæc operatur aliquid

Respectu
judicii.

Respectu judicis, ut rationem habeat debitoris hanc exceptionem opponentis, ne in plus, quàm facere potest illum condemnet *l. 20 l. 21. ff. de re judic. §. 37. Instit. de action.* Si vero judex errore juris lapsus in solidum reum condemnaverit, tutus est reus doli exceptione *l. 17. §. ult. ff. solut. matr.* Quod si neglectà exceptione à convento oppositâ judex nihilominus contra reum ad solidi executionem processerit, distinguendum puto, an contra jus partium, an verò contra jus constitutionis fecerit: Priori casu, sententia, nisi legitimo aliquo remedio suspendatur, transit in rem judicatam: quippe cum judex hoc ex justa causa fecisset, præsumatur *l. 65. §. 2. ff. ad Sc. Trebell.* posteriori verò casu, sententia nullam habet efficaciam, ideoq; reo nihil præjudicare potest *l. 2 C. quand. prov. non est neceß.*

Th. XXVII.


Porro respectu debitoris præstat (1) ne bonis cedere cogatur. *Respectu debitorum.*
Hartm. Obserr. pract. lib. 2. tit. 12. n. 2. (2) ut tantum relinquatur convento, quantum iudex ad alimentationem secundum rei conditionem & qualitatem, ut & secundum patrimonii quantitatem sufficiens esse iudicaverit, de quo egi *th. 23. & 24. Carpz. p. 1. C. 32. D. 16.* Respectu creditoris illud operatur, quod oppositâ exceptione creditor non nulliter, *Respectu creditoris.*
 sed non efficaciter agat, i. e. ut non statim solidum juxta intentionem consequatur, sed ut residui exactio tamdiu suspendatur, donec reus ad meliorem fortunam pervenerit, sæpius alleg. *l. unic. §. 7. C. de rei unot. action.*

Denique ad affinia pertinent (1) Beneficium inventarii; heres enim cum beneficio inventarii ultra vires hereditarias creditoribus defuncti non tenetur §. 5. *Inst. de hered. qual. & diff. l. ult. C. de jur. delib.* (2) Beneficium divisionis fidejussorum §. 4. *Instit. l. 26. l. 27. pr. ff. l. 3. l. 10. §. 1. C. de fidejuss.* (3) Actio etiam de peculio, quia ultra peculii vires condemnationem non admittit §. 36. *Instit. de action.* (4) Jus retentionis, nam petitionem actoris ob impensas minuit §. 37. *d. 1.* (5) Tandem Compensatio, quatenus convento ab actore rursus quid præstandum venit, §. 39. *d. 1. & tot. tit. ff. & C. de compens.* Contraria, quia *th. 20. & 21. inserui*, huc repetere non lubet, sed potius hinc pedem in ejus nomine, in cujus incœpi, figere placet.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.

Ardua cura fuit Themidos lustrare Roseta,
 Nec minor egregiis Te sociare Viris.
 Est spectata diu Tua virtus inclyta Varno,
 Exstitit & nostris gratior aura Rosis,
 Sat Themidi Librisq; datum est, ut Varnica Lauri
 Gingere Te possit, cinget Apollo caput,
 Robbige nimium nostro dilecte Roseto
 Delicium patriæ deliciumq; Rosæ.
 Applaudit Varnus, Tibi lauræ corona paratur,
 Patria perpetuum spondet, Amice, decus.
 Ardua vicisti Tibi Laus æterna parata est,
 Hanc precor ut Summum Numen ab axe beet.

PRÆSES.



& jam ante res suas ita ordinasse atq; i
ut præclarum in mundo Nomen esse
ea studiorum inusitataq; diligentia
hoc porrò impensius acturum confic
pum, Provinciarum, Rerum publ, salu
quicquid unquam virium aut faculta
ferat, officiiq; sui partes ita modis o
neminem non fateri necesse sit, nos no
nificia & honores publicos contuliss
ominetur de eo, qui strenuâ semper a
viâ, eamq; studiorum rationem ampli
cogitari quidem rector aut elegantio
Parens *Vir Nobiliss. Ampliss. & Co*
REINHARDUS ROBBIGIUS AB HALLER
mes Palatinus, & Brunsvigo. Lunæ
rius, privatis Præceptoribus forman
usq; in 17. vitæ annum domi hæssisset,
solidiores etiam profectus requirere
mensium Gymnasium, patre sic ordina
per integrum quadriennium commo
rum literarû, & Juris præcipuè, cui se
fundamêta, manu ductore Excellentiss
DN. JOHANNE WACHTMANNO, J. U. D. &
Gymnas. Prof. tûc temporis laudatiss.
sententia jecit, Bremâ domum revoca
tis consilio ad Academiam ERNEST
per triennium eo loco Amplissimorum
rorum DNN, PESTELII, BUCHOLTZ
SCULTZII, J. U. DD. & PP, Excellentiss



ovinus,
m publi-
cceperit,
n Princi-
modum,
erit, con-
pleat, ut
num be-
im malè
ngressus
vix ex-
Puerum
Justus
tus, Co-
Consilia-
: Quùm
dioratas
bre Bre-
ssus, ubi
manio-
secrarat
ciss. Viro
remens.
exanimi
x Paren-
legatus,
ltiss. Vi-
DESII, &
rivataq;
infor-